

88. Inq. 4. An juramentum servandi secretum eorum, quæ in capitulis, aut congregationibus tractantur, semper obliget sub gravi? R. tale juramentum obligat juxta gravitatem materiæ, ita ut, si materia sit magni momenti respectu communitatis, aut alterius tertii, ejus manifestatio erit culpa gravis; si autem levis momenti sit, ita ut leve detrimentum ex ejus revelatione timeatur, erit levis. Quia tale juramentum secretum; sed hoc obligat juxta gravitatem materiæ: ergo similiter juramentum. Nec est alia intentio jurantium, nec communitatis exigentis juramentum.

89. Quidam recentior adstruit obligare graviter talia juramenta, etiam in materia levi; alias, ait, deficeret veritas formalis juramenti promissorii, quæ apud ipsum consistit in adimplerione rei promissæ. Sed hoc a nobis supra explosum est, & iterum exploditur, quia omisio rei juratæ in juramento promissorio esset mendacium, aut perjurium, res jurata ex nulla causa posset omitti, nec dispensari; sed hoc est aperte falsum: ergo omisio rei juratæ nec est mendacium, nec perjurium formale, sed infidelitas gravis, ut levis juxta qualitatem materiæ. Dicere autem ex una parte, quod talis omisio est mendacium, & perjurium formale, & ex alia dari quandoque causam non implendi rem juratam, vel in ea dispensandi, est dicere posse dari causam ad mentiendum, vel ad dispensandum mendacium, & perjurium.

90. Inq. 5. An medici teneantur servare juramentum monendi de confessione infirmos ex vi constitutionis Pii V.? R. ubi juratur decretum Pii V. tenentur medici monere de confessione facienda ægrotos laborantes gravi infirmitate, ita ut nequeant visitare ultra tertium diem, nisi certiores fiant de ejus confessione per Confessarii rescriptum. Constat ex decreto Pii V. confirmante aliud Innocent. III. in cap. Cum infirmitas, de pœnit. & remiss. Igitur ubi præstatur juramentum, & decretum est receptum, vel contraria consuetudine non abrogatum, debet observari, quia est lex justa sub gravibus pœnitibus imposita; non quidem pro omni infirmitate, sed pro illa, quæ gravis ju-

dicio prudentis medici creditur, intelligendum est decretum, & observandum juramentum. Nec prohibitio visitandi ægrotum debet intelligi, quando ex desertione medici timeretur periculum mortis infirmi, hoc enim vergeret in dispidium caritatis.

91. Verum præcise ab hac, & aliis legibus Pontificiis sub gravi tenentur obligatione medici monere per se, vel per alios absque respectu carnis, & sanguinis ægrotos gravi, aut periculoso morbo laborantes de sacramentis suscipiendis, & cæteris rebus disponendis, ut in viam aternitatis se præparent; quia quilibet ex lege caritatis tenetur occurrere proximi damno imminenti, & maxime si irreparabile est, ut in præsentia.

PUNCTUM IV.

Quomodo cesset obligatio juramenti.

92. Inq. 1. Per quot, & quales causas tollatur obligatio juramenti? R. tollit per easdem, ac obligatio voti, & sunt irritatio, dispensatio, commutatio, cessatio finis, impotentia physica, aut moralis, & condonatio. Unde quæ de iis casibus dicta sunt pro cessatione voti tractat. præcedenti cap. 2. proportionaliter cessationi juramenti applicari debent.

93. Inq. 2. An habens potestatem dispensandi, aut commutandi vota, eam habeat ad dispensanda, seu commutanda juramenta Deo facta? R. si potestas est ordinaria, apud omnes extenditur ad juramenta. Si autem est delegata, esto sententia affirmativa sit valde probabilis; tamen ex stylo curiæ Romanæ dicunt aliqui, quod facultas ad vota dispensanda non extenditur ad juramenta, nec ad vota jurata. Attendantur in primis modus, & verba delegationis; deinde stylus curiæ. Confessarii medicantes gaudent privilegio commutandi vota etiam jurata Pontifici non reservata: nisi adsit præjudicium tertii.

94. Inq. 3. An Papa possit dispensare omnia juramenta? R. ex gravi causa valet dispensare omnia juramenta Deo facta. Juramenta autem sponte edita in favorem tertii jam acceptata solum valet dispensare ex gravissima causa, quæ cedat vel

in bonum commune, vel in favorem innocentis, vel in pœnam delicti; alias laederetur justitia, nec esset valida dispensatio. Episcopi possunt dispensare juramenta non reservata, aut etiam non libere emissa in favorem tertii, nam si coacte emissa sunt, possunt absolute ea dispensare: ipsa enim coactio injusta est sufficiens causa dispensandi.

95. Præter juramenta autem supra recensita sunt & alia Papæ reservata, nempe juramenta circa statuta collegiorum, universitatum, & bonorum ecclesiasticorum, dum sunt a Pontifice confirmata: Item juramenta ex mandatis Pontificum emanata circa aliqua decreta observanda: pariter juramenta, quibus viri insignes se adstringunt, & Imperatores, Reges, Comites, Marchiones, & Episcopi in sua promotione. Hujusmodi etiam sunt juramenta circa res arduas,

& magni momenti ab universitatibus emissas, ut defendendi mysterium immaculatæ conceptionis; aut doctrinam D. Thomæ.

96. Inq. 4. Quomodo cesset juramentum inter duos vicissim emissum de præstando sibi obsequio? R. cessare primo per mutuam obsequii remissionem, quando illud principaliter juratum est: quia quilibet potest remittere alteri obligationem in proprium favorem promissam. Secundo per infidelitatem alterius: quia talia juramenta intelliguntur sub conditione, si alius ingratus non existat. Tertio quando jus tuum, aut tuorum, vel Ecclesiæ aliud exposcat. Quarto, quando datur mutatio notabilis rerum, ut in sponsalibus; in quibus cessat obligatio juramenti notabili mutatione superveniente. Quinto, quando observatio juramenti est alteri noxia. Cætera hic expectantia vide tract. præc. an. 114.

TRACTATUS DECIMUSTERTIUS

DE ADJURATIONE.

Post juramentum immediate disserit Angelic. de adjuratione. 2. 2. q. 90. Cujus faciem sequentes de eadem præsentis tractatus erit nobis sermo.

CAPUT UNICUM.

De natura, divisione, & aliis conditionibus adjurationis.

PUNCTUM I.

Quid, & quotuplex sit adjuratio.

1. Inq. 1. Quid sit adjuratio? R. est Contestatio rei sacræ, per quam adjuratus imperio, aut precibus inducitur ad aliquid faciendum, seu omitendum. Si proprie sumatur, est actus religionis, quia per illam exhibetur Deo honor assumendo ejus nomen ad postulandum, seu imperandum, quod fieri cupimus. Distinguitur a juramento, quia in hoc adducitur Deus ut testis veritatis; in adjuratione vero ut objectum amoris, aut timoris. Differt etiam ab oratione, quia

in hac nihil imperatur; in adjuratione autem aliquid potest per Deum imperari. Non datur speciale præceptum adjurandi: nam quod per eam exoptatur, potest per orationem adipisci, tamen ratione officii in ministro Ecclesiæ potest dari obligatio adjurandi, præsertim dæmones, ut ab obsessis corporibus egrediantur.

2. Inq. 2. Quotuplex sit adjuratio. R. adjuratio alia est deprecativa, alia imperativa, alia privata, alia sollemnis, alia denique propria, alia impropria. Deprecativa est, cum aliquid postulamus à Deo per ejus misericordiam, aut per merita Christi, Beatissimæ Virginis, aut sanctorum. Imperativa est, cum per nomen Dei aliquid inferioribus præcipitur. Sollemnis est, quæ fit modo ab Ecclesiâ præscripto per ministros ab ea deputatos. Privata, quæ a quocumque fieri potest. Propria dicitur, quæ Deum invocat, aut sanctos, prout in eis Deus splendet. Impropria est, quæ sanctos juxta eorum propriam excellentiam invocat. Unde petere aliquid per Deum est ac-

316
 tus *latria*; petere per Beatissimam Virginem est actus *hyperdulie*; & petere per sanctos est actus *dulie*.
 3. Inq. 3. Quot conditiones sint requisitæ ad licitam adjurationem? R. easdem requirit, ac ad licitum juramentum: quia adjuratio est quædam species juramenti. Unde requiritur *veritas*, inè per falsos Deos, aut motivo falso adjuretur: deinde *justitia*, hoc est, quod res postulata sit honesta, aut licita: denique *judicium*, id est, quod debita reverentia, & consideratione fiat. Defectus justitiæ, & judicij regulariter non excedit culpam venialem; defectus veritatis, si consisteret in adjurando per Deos falsos abs dubio esset mortale: probabilius etiam, si pauper factus postularet per Deum magnas eleemosynas, peccaret graviter, non solum contra justitiam, sed etiam contra religionem, quia assumeret nomen Dei ad roborandam, & contestandam petitionem graviter iniquam.
 4. Inq. 4. Qui possint adjurari, & adjurare? R. 1. solum creaturæ rationales possunt proprie adjurari: quia tantum creaturæ ratione utentes possunt percipere adjurationem. Unde potest primo Deus per se ipsum, vel per sanctos a nobis deprecative adjurari, ut quotidie facimus, postulando ab ipso beneficia propter suam pietatem, vel per filium suum, Beatissimam Virginem, aut sanctos. Secundo Angeli, cæterique sancti adjurari possunt vel per Deum, vel per alios sanctos, ut pro nobis intercedere dignentur. Tertio Dæmones adjurari queunt imperative per virtutem Dei, ne nobis nocent. Nubes, tempestates, fulgura, & animalia irrationalia solum indirecte adjurantur, dirigendo adjurationem contra Dæmones, qui prædictis procellis, aut animalibus nobis nocent, & agros infestant, ut ait D. Thom. 2. 2. q. 90. art. 3.
 5. R. 2. Quod privata adjuratione quilibet potest adjurare Deum, sanctos, aut Dæmones, imo etiam ipse Deus potest alios adjurare per contestationem sui amoris, aut timoris. Similiter Angeli, cæterique beati, ac viatores possunt alios adjurare per Dei amorem, aut timorem ad postulata exequenda. Verum adjuratione solemnæ tantum ministri ordinati,

& ab Ecclesia destinati adjurare valent: ob hanc quippe assignationem talis adjuratio solemnis dicitur. Dari hanc potestatem in Ecclesia constat ex cap. 16. *Marc.* Ubi dicitur: *In nomine meo Dæmonia ejicient.* Et ex ordine exorcistatus, in quo potestas confertur Dæmones adjurandi, & expellendi. Hæc ordinis potestas in omnibus est æqualis, sicut potestas consecrandi, quia non pendet a meritis conferentis, aut recipientis, sed a virtute divina.
 6. Alia potestas, quæ inter gratias *gratis datas* enumeratur: 1. ad *Corinth.* 12. æqualis in omnibus non est, quia Spiritus Sanctus dividit gratias singulis, prout vult. Sanctitas, seu puritas conscientiæ, esto sit valde conveniens in exorcistis ad Dæmones profligandos, non tamen necessario requiritur: quia virtus ordinis, & gratiæ gratis datæ reperiri possunt in peccatoribus, ut in Balaam, & Caypha; ideo plus optare debemus, quod nomina nostra scripta sint in caelis, quam quod dæmonia subjiciantur nobis, ut Dominus dixit *Lucæ* 10.

U I D A I I D

P U N C T U M I I.

De exorcismis.

7. Inq. 1. Quid sit exorcismus? R. est adjuratio Dæmonum per virtutem Dei, ut a nocendo desistant. Secundum diversa tempora diversi fuere modi, seu formulæ exorcizandi; nam in omni lege sive naturæ, sive scriptæ, sive gratiæ fuit in Ecclesia potestas abigendi Dæmones. Apud Judæos videtur prævaluisse modus adjurandi eos, invocato nomine Dei, *Tetragramaton*. In lege evangelica non una semper adjurandi fuit formula. Nam Christus Dominus aliquando simpliciter verbo, aliquando verbis, & factis Dæmones expulit, ut cum surdum, & mutum mittendo digitos in aurículas, & dicendo *Epheta* sanavit. *Matth.* 9. Apostoli in nomine Jesu Christi expellebant Dæmonia, ut patet *Act.* 16. Nunc autem exorcistæ ampliori exorcismorum forma utuntur, recitando Evangelia, litanias, aliasque orationes cum aspersione aquæ benedictæ, contactu crucis, vel alterius reliquiæ, ut constat ex rituali Romano, cui

om.

omnino debent se conformare, nec alia pro libito addere.

8. Inq. 2. An exorcismi habeant ex opere operato virtutem abigendi Dæmones? R. Exorcismos habere ex opere operato virtutem moralem per modum imperationis a Deo. Ita D. Thom. 3. p. q. 71. art. 3. ubi docet exorcismos non solum significare, sed etiam facere aliquid pro expulsionem Dæmonum. Hæc virtus juxta aliquos est infallibilis circa aliquem effectum, vel expulsionem saltem vialem: juxta alios operatur, vel non secundum Dei beneplacitum.

9. Præter exorcismos ab Ecclesia institutos dantur aliæ res, quibus Dæmones profligantur, ut invocatio nominis *Jesu*, aut *Mariæ*, crux Christi, Agni cærei, & aliæ sacræ reliquiæ, & præcipue aqua benedicta; de qua inter alia mira refert Seraphica Mater nostra *Teresia cap.* 31. vite, plus abigere Dæmones, quam crux ipsa: addens humiliter se nescire rationem hujus effectus. Potest autem ratio congruentiæ esse, quod crux habet virtutem ad alios plures effectus: aqua vero benedicta præcipue est destinata ad effectum Dæmones abigendi, unde istum effectum efficacius operatur: sicut in naturalibus virtus unita, & directa ad unum effectum fortior est, quam ad alios dispersa. Exorcismus ordinatur ad abigendos Dæmones ab interiori; aqua autem benedicta ad repellendos eos ab exteriori, ut docet D. Thom. 3. p. q. 71. a. 2. ad 3.

10. Inq. 3. An res corporeæ, & sensibiles habeant virtutem Dæmones expellendi? R. Nullam rem corpoream habere virtutem naturalem ad expellendum directe Dæmones. Quia Dæmon est res spiritualis, in quam nulla res corporea directe agere valet, quia nullos habet sensus, aut organa. Cæterum res naturales corporeæ possunt habere virtutem expellendi indirecte Dæmones, quia valent agere in alias res naturales, quibus Dæmon utitur ad homines vexandos. Hoc modo cythara David profligabat Dæmonem, quia suo sonitu refocillabatur Saul, leniendo ejus humorem tetricum, recedebatque ab eo spiritus malus. 1. *Reg.* 16.

11. Eodem modo fumus jecoris piscis expellebat Dæmonem Asmodæum tempe-

Tom. I.

rando ardorem veneris in Tobia: Idem dicitur de quibusdam herbis, ut artemisa, salvia, ruta, & aliis, necnon de fumigationibus coram caprini, aut similibus; hæc enim omnia si Dæmones expellant, solum est indirecte per oppositionem suæ naturalis virtutis ad materiam, qua a Dæmone homines vexantur, aut agitantur.

12. Inq. 4. Quomodo se gerere debeat exorcista ad suum munus rite obeundum? R. ex suppositione necessitatis sui muneris exercendi debet in primis spiritualibus armis se munire, nempe viva fide, spe firma, fervida caritate, profunda humilitate, devota oratione, sanctisque jeuniis. Deinde curet, ut obsessus expietur per sacramentalem confessionem, & etiam data opportunitate roboretur sacræ Eucharistiæ sumptione, ut sic undequaque munitus tanquam Ecclesiæ minister, & miles Christi aggrediatur impavidus prælium Domini.

13. Inq. 5. Quæ Dæmonibus exorcista imperare, & interrogare possit? R. solum imperare eis valet, ut exeat, a nocendoque desistant; & interrogare ea, quæ unice ad eorum expulsionem conducunt. Ratio primi est: quia solum hanc potestatem Christus suis ministris contulit, quando eis illam dedit supra Dæmonia *Marc. ultim.* Ratio secundi est, quia concessio sine, conceduntur media ad illum conducentia; sed solum aliqua interrogare est medium conducent ad finem Dæmones expellendi: ergo hoc solum est licitum. Unde illicitum est imponere præceptum Dæmoni superiori, ut inferiores expellat, licet possit, & debeat ei præcipi, ut cum omnibus exeat. Similiter possunt interrogari de numero, & nomine habitantium in obsesso, & de causa ingressus, ut patet ex rituali Romano. Ex eodem constat posse peti a Dæmone signum sui egressus; præveniat autem exorcista, ut signum sit honestum, nullique nocivum: nunquam adhibeat inter adjurandum juramenta, nec instrumenta indecora, nec alapas, flagella, aut similia; quia virtus exorcismi nullo horum indiget ad suum effectum prestandum. Nihil alienum a gravitate, decore, & sanctitate ministerii faciat, aut dicat exorcista.

LIII

14.

14. Inq. 6. An exorcista peccet graviter, si unam, vel alteram rem veram, aut curiosam a Dæmone interroget? R. habere longos, & inutiles sermones cum Dæmone est peccatum grave: quia hoc esset cum eo amicitiam laire. Parieter aliquid interrogare cum periculo proeundi delicta proximi, vel intentione obtinendi ab eo scientiam, vel aliud beneficium, vel quiddam deprecative est lethale, quia hoc esset ei subici. Si autem coactive, & imperatively aliquam rem vanam interrogaret, non excederet culpam venialem, quia sic ageretur cum eo, ut hoste, & ad summum esset actus socialis imperfectus, in quo grave peccatum non adest. Imo interrogare coactive Dæmonem de aliqua veritate, quæ creditur expedire manifestari ad gloriam Dei, aut utilitatem spiritualem proximi, licitum est juxta D. Thom. 2. 2. q. 95. art. 4. ad 1. Nota, quod ibi ad 2. meminit Pythoayssa interrogata a Saule, in quo hic graviter deliquit; sed non resolvit, an quod apparuit, fuerit anima Samuelis.

15. Inq. 7. An possit dari fides Dæmoni ex vi exorcismi aliquid manifestanti? R. regulariter ejus dictis nulla fides est adhibenda: quia est pater mendacii, ut ait D. Thom. ibidem: Unde si diceret causam sui ingressus in aliquem fuisse illum non esse baptizatum, minime ex vi illius testimonii esset rebaptizandus, ut erudite resolvunt PP. Salmanticensis in facti contingentia cujusdam monialis tom. 5. tract. 22. cap. unio. a num. 69.

16. Addunt tamen prudenter, quod si ultra Dæmonis dictum concurrant alia gravia indicia de baptismi defectu, debere rebaptizari. Ita accidit in casu singulari, in quo Dæmon coactus a Deo revelavit quamdam virginem non fuisse baptizatam ex defectu materiam, quod sic contigisse postea testata est mater puellæ, ut refertur in nostra Chronica lib. 7. cap. 23. num. 4. Unde generaliter esto dictis Dæmonis nulla debeat dari fides: nihilominus, quando concurrant alia indicia gravia, quæ veritatem sufficienter contestentur, poterit credi; sicut etiam quando incitaret ad aliquod opus undequaque bonum, ut ad ingressum re-

ligionis: ita D. Th. Opus. 17. cap. 10.

17. Inq. 8. In quo loco adjurari debeant energumeni? R. Regulariter in Ecclesia sunt adjurandi: quia ibi adsunt omnia, quæ Dæmones horrent, ut sacramentum Eucharistiæ, cruces, sanctorum imagines, & reliquæ, aliæque res sacræ, quæ illos effugant; verum ex necessitate illicitum non est extra Ecclesiam adjurare, esto raro fieri debeat. Conveniens etiam est, quod adjuratio fiat apertis januis Ecclesiæ, tum ad confirmandam astantium fidem, tum ad roborandam adjurationem communi oratione: pro qua cavendum est ne Dæmones vana, aut falsa loquantur, nec quæ ad risum movere possint. Similiter arcendæ sunt mulieres, quæ magis ejulatus, & gemitus, quam orationes fundere solent: excludendi etiam sunt pueri, otiosi, & blaterones, qui tanquam ad spectacula ad hujusmodi accedunt. Advertendum denique est, ne unquam sacra Eucharistia, seu pixis, in quo servatur, capiti, aut corpori obsessi admoveatur, quod cum aliis scitu dignis tradit Bened. XIV. in sua epist. Cum ut recte, quæ reperitur tom. 4. Bullarii ejusdem.

PUNCTUM III.

De ingressu Dæmonum in homines.

18. Inq. 1. An Dæmones ingrediuntur in corpora hominum? R. affirm. Imo de fide est Dæmones in corpora hominum subintrare: ut patet ex variis locis sancti Evangelii, ubi constat Dominum Dæmoniacos curasse, & dedisse Apostolis potestatem Dæmones ejiciendi. Ut autem quis vere arreptitius, aut energumenus dicatur, tria requiruntur. Primum, quod Dæmon subintret corpus obsessi, non enim sufficit assistentia ejus extrinsecæ; alias sancti, quibus adstitit ad tentandum, fuissent arreptitii. Secundum, quod eos immediate per se ipsos vexent, non mediate per morbos; alias omnes maleficiati dicerentur Dæmoniaci. Tertium, quod habeat potestatem manendi in corpore obsessi, tanquam in proprio domicilio, eum interius, exteriusque vexando: quod quia non habuit Dæmon in Judam, non fuit arreptitius; esto in eum

intraverit, ut constat ex illo Joan. 13. 27. & post buccellam introivit in eum Satanas. Quo denotatur atrocitas criminis, quod solum ab homine acto, & impulso a Dæmone perpetrari poterat.

19. Verum licet Dæmon habitet in corpore hominis, est tamen diverso modo, ac anima, quia hæc est in toto, tanquam forma vivificans; ille in toto, vel in parte tanquam in loco operationis. Adest etiam modo distincto ac Angelus custos, quia hic tantum operatur exterius removendo a nobis mala imminuentia, aut infundendo interius bona consilia: Dæmon vero intra corpus, & in ipso corpore operatur.

20. Inq. 2. Per quam corporis partem Dæmones in homines ingrediuntur? R. cum sint spiritus, possunt intrare per quamlibet partem, aut meatum corporis, verumtamen per os, aut nares ingrediuntur. Unde orta est laudabilis, & observanda consuetudo, qua homines oscitantes signum crucis in ore efformant. Resident plerumque in corde, seu circa cor, quia hoc est principalius membrum, & initium actionum vitalium; in qualibet tamen parte pro libito sæpe habitant. Ex omni ordine, & principatu subintrant in homines, ut colligitur ex Apost. ad Ephes. 6. ubi dicit nos colluctare adversus Principes, & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum. Ex quibus verbis etiam infertur non omnes Dæmones cecidisse in infernum, & ibi incarcerari, sed plures mansisse in aere ad exercitium hominum, ut docet D. Th. 1. p. q. 64. art. 4. ad 3. Omnes tamen torquentur igne inferni, qui tanquam instrumentum divinæ virtutis in distans operatur, ut tradit ibidem, & alibi.

21. Inq. 3. An plures Dæmones in uno homine esse possint? R. affirm. Constat ex cap. 8. Luc. ubi dicitur legionem Dæmonum vexasse obsessum. Operantur autem, vel in diversas partes corporis, vel circa eandem partialiter, vel per actiones specie diversas. Communiter plures magis, quam pauci cruciant, quamquam si Deus permitteret, unus posset nocere, quantum plures; sed regulariter singuli a Superiori legionis ex Dei permissione habeant certum modum, & mensuram nocendi.

22. Inq. 4. Quæ sint signa ad cognoscendum aliquem esse vere energumenum? R. Dari plura signa, sed pauca certa. Primum, si peregrinis linguis loquatur. Secundum, si calleat scientias, quas nunquam didicit. Tertium, si revelet occulta, quæ humana virtute sciri nequeunt. Quartum, stupor membrorum præternaturalis, & vox inconsueta. Quintum, horribilis, & truculentus vultus. Sextum, resistentia nomina Jesu, & Mariæ pronuntiandi, sanctos invocandi, aut res sacræ tangendi. Septimum, extraordinariæ vires ad ingentia onera portanda, & catenas facile dirumpendas. Hæc sunt signa, quibus agnosci quit vere arreptitius, præcipue si omnia concurrant. Tria prima certa reputantur, cætera sub dubio proponuntur. Vid. Angel. 1. p. q. 115. a. 5.

23. Inq. 5. Quam potestatem exercent Dæmones circa animam, & corpus obsessi? R. circa animam exercent potestatem indirecte perturbando sensus, & lædendo organa, quibus anima utitur ad suas operationes: vexat etiam obsessum gravioribus tentationibus, & afflictionibus, qua ratione curandum est, ut energumeni devote ad sacramenta poenitentiae, & Eucharistiæ accedant ad se munidos contra diabolicos incursus. Sed majorem in corpora exercent potestatem, ea vehementissime cruciando, ita ut, si Deus permitteret, nullus obsessorum salva vita tyrannidem eorum effugere posset. Igitur valent Dæmones cogere obsessos ad loquendum, aut tacendum, ad ambulandum, aut standum, ad videndum, & non videndum: possunt etiam immutare eorum sensus, & species taliter, ut fantasiam perturbent. Nequeunt tamen cogere directe intellectum, & voluntatem obsessi; supra has enim potestatis, ut dictum est, non habent potestatem, nisi indirectam.

PUNCTUM IV.

De aliis violentiis Dæmonum.

24. Inq. 6. An verba, & operationes obsessorum, quæ alias peccata sunt, imputentur eis ad culpam? R. si Dæmones per violentiam absque consensu ob-

sessi compellunt linguam ejus blasphemare, vel obscena verba proferre, vel cogunt eum ad alia mala exterius perpetranda, hujusmodi peccata ei non imputantur, quia ipsi nec sunt libera, nec voluntaria. Eadem ratione quando Demones ita perturbant sensus internos, ut invincibiliter apprehendant obsessus malum pro bono, non peccat, quia operatur, ut carens usu rationis. Si autem Demones solum suasionibus, & suggestionibus, tametsi vehementibus alliciant voluntatem, quin sensus internos pervertant, tunc peccata imputantur energumens: quia libere volita sunt; ita peccavit Saul, quando arreptus a Dæmone misit lanceam in David. 1. Reg. 18. Potest, igitur Diabolus compellere hominem, ut faciat aliquid, quod ex se sit malum, aut peccatum; sed non potest compellere ad peccandum. Ita D. Thom. 1. 2. q. 80. art. 3.

25. Inq. 2. An de facto permittat Deus Diabolos violentias obscenas inferre personis spiritualibus ad majorem earum profectum, & purgationem? R. neg. quia non est credibile Deum, qui est amator castitatis, velle cum ejus violatione puritatem animæ perficere; quinimo sæpe miraculis patefecit se sollicite tutari castitatem, ejusque decorem, ut liquet in sancta Agnete, Lucia, & aliis foeminis sanctis, quarum nuditatem nivis candore operuit. Potest Diabolus ex se culibet vim inferre, & compellere homines ad actus pravorum abutendo eorum membris, sed frenatur à Deo, ne absque sua licentia talia efficiat, aut alicui noceat.

26. Objic. 1. Nequeunt negari violentiæ Diabolicæ in arreptis, & obsessis; constant enim ex Luca 8. 29. & ex historiis fide dignis. R. Deum permittere Diabolo vexare homines mille modis, vel ad exercitium patientiæ, vel ad punitionem alicujus peccati. Sed aliud est cruciare eos doloribus, poenis corporibus, plagis, & vulneribus, vel etiam suggestionibus, aut tentationibus; & aliud vim inferre ad actus pravorum, & obscenos; primum permittit Deus ob fines suæ providentiæ, sed nunquam permittit, nec permittit Diabolo violentias pravas, aut impuras ad purificandas animas sanctas. Si quæ igitur asserat sibi Diabolus

ad similia vim intulisse, credenda est illusa, vel quod ipsa volente res fuit habitata. Hæc est via secuta.

27. Dices: Deus permittit aliquando virgines castas violari ab hominibus contra earum voluntatem, ut legitur in D. Aug. lib. 1. de civit. cap. 28. ergo idem est de permissione Diaboli. R. ex eodem Aug. ibi: forsitan ipsæ superbia laborabant, & tumebant. Unde videtur permittisse Deum illam violationem, & violentiam ad puniendas superbas, non ad purificandas animas sanctas. Non semel puniit Deus publica confusione occulta crimina, in quo elucet ejus misericordia: si namque confusio non precederet, forte flagitia non cessarent. Nec est idem quoad violentiam inferendam de homine, ac Dæmone; homo enim est liber, Dæmon autem est ligatus, quoniam si liber esset ad nocendum, vix nobis! Habet quippe mille artes nocendi.

28. Nec tentare permittit ei Deus, quantum vellet; multo igitur minus permittit violentias ad actus pravorum, & obscenos ad purificandas, & perficiendas animas sanctas, est quippe medium incongruum Providentiæ Divinæ. Nec homini censemus permittere Deum violare virgines castas, quia si ipsæ vere sint castæ, puræ, & humiles corde, proteget eas conservando inconsumtam earum puritatem etiam in medio flammarum sicut rubum in deserto. Huic doctrinæ adhareant semper Confessarii, & directores animarum: ex opposita enim, quæ Molinismum sapit, multa pericula, & ingentia mala oriri valent. Est quippe via valde obstructa. Vid. Bullam Innocentii XI. quæ incipit *Cælestis pastor*, dat. 20 Nov. ann. 1687. contra Molinos.

PUNCTUM V.

De egressu Dæmonum.

29. Inq. 1. Cur Dæmones adeo renuant egressum ab obsessis? R. Causam propriam suæ resistentiæ esse livorem, aut invidiam, qua tabescunt erga homines, quos semper velent cruciare. Aliqui Dæmones difficilius expelluntur, quia ex Dei permissione majus dominium habent in obsessum; hac etiam de causa cer-

tum

tum genus Dæmoniorum non ejicitur, nisi in oratione, & jejuniis.

30. Inq. 2. Quæ sint signa egressus Dæmonum ab energumens? R. nulla signa esse certa: probabilis est, quod obsessus per longum tempus nullam patiatur molestiam ex his, quibus antea cruciabitur. Alia signa sunt eorum confessio, forma apparens alicujus hominis nigri, aut canis, vel hirci, seu discessus non ordinarius magnæ muscæ, formicæ, aut araneæ, vel ingens vomitus rerum putridarum, aut ingentes ejulatus, aut collisio obsessi in terram. Aliquando discedunt absque signis; quare parum est in eis fidendum. Signa, quæ ab exorcista posci possunt, debent esse honesta, & nemini nociva, ut extinctio candelæ, seu lampadis, fractio vasis vitrei, clausio, seu apertio portæ Ecclesiæ, aut aliquid hujusmodi, quod nulli damnum causare valeat. Et hoc est eis severe præcipiendum ab exorcista.

31. Inq. 3. An liceat annuere petitioni Dæmonum, quando egressuri a corpore aliquid deprecant? R. si nihil contra Deum, aut proximum postulent, concedere licet, ut quantocius egrediantur; ut si peterent, ne eis malum majus inferatur, ne relegentur in infernum, ne novis cruciatibus afficiantur. Si autem poscerent aliquid cedens contra honorem Dei, aut bonum proximi, nullatenus licet eorum acquiescere petitioni. Christus permittit Dæmonibus intrare in porcos, Luca 8. 32. Sed erat opamini Dominus, cujus factum potius venerari, quam imitari debet, secluso speciali, & certo ejusdem impulsu. Uno Dæmone expulso, regulariter omnes dispelluntur, quia virtus exorcismi omnibus æqualiter obest. Ex divina autem voluntate contingere potest, quod uno, aut pluribus expulsi, alii remaneant.

PUNCTUM VI.

Alia dubia circa Dæmones.

32. Inq. 1. An sint spiritus illi, qui vulgo duendes dicuntur? R. Primo certum esse dari larvas, lemures, aut homuntiones, vulgo duendes, seu trasgos, qui spectris quædam loca infestant, ho-

Tom. I.

minesque terrefaciunt, ut experientia quotidiana comprobatur. Audiunt enim in domibus, cubiculis, aut arcibus, tempore præcipue nocturno, percipiunturque strepitus ab eis causati, vel catinos, & paropsides commovendo, vel lapillos projiciendo, vel ad bacillos ludendo, vel aliis modis homines terriaculo.

33. R. secundo similia spectra non esse animalia invisibilia, & irrationabilia, ut aliquis plus festivo, quam solide scripsit, sed Dæmones, quos in aere ad homines exercitantes divina providentia reliquit. Constat ex autoritate ritualis Romani, ubi apponitur exorcismus *domus a Dæmone vexatæ*. Unde omnes, qui de exorcismis egerunt, hujusmodi larvas appellant Dæmones, ita ut opinatio opposita non solum inutilis, & singularis, sed etiam ridicula reputetur. Sunt igitur mundi restores tenebrarum harum, ut dicit Apost. ad Ephes. 6. 12. idcirco potius noctu, quam per diem se produunt, ut restores tenebrarum. Eadem ratione infestant domus, locaque deserta, & paludosa; quedam enim præ aliis has infestationes sæpius patiuntur, vel quia subterranea, aut solitaria sunt, vel quia minus habitantur, vel quia divina providentia ita disponit ob fines nobis occultos, semper tamen minus nocivos, magisque salutare. Unde magis nocent homines tetricos, melancholicos, & præcipue lunaticos, tum ut lunam infament, tum quia lunatici sunt magis dispositi ex temperamento humido Dæmonum vexationi, ut ait D. Thom. 1. p. 9. 115. a. 5. ad 1.

34. Objic. 1. Apocalyps. 20. dicitur, quod Angelus de celo descendens apprehendit draconem, serpentem antiquum, qui est Diabolus, & Satanas, & ligavit eum per annos mille, & misit eum in abyssum, & signavit super illum, ut non seducat amplius gentes, donec consumentur mille anni, & post hæc oportet illum solvi modico tempore. In his verbis denotatur, quod draco, seu Diabolus cum exercitu suo ligatus fuit, & clausus in inferno per Christum usque ad adventum Antichristi toto tempore legis gratiæ designato per mille annos: ergo Dæmones nunc non sunt in aere, sed reclusi in inferno.

Mmm

35.

35. R. nequit dubitari Dæmones versari etiam nunc in aere ad exercitium hominum; constat enim non solum ex rituali Romano, & ex Apostolo loco laudato, sed etiam ex *Mattb. Ultim.* ubi Christus inter signa suorum fidelium posuit virtutem eos ejiciendi; in nomine meo Dæmonia ejicient. Igitur si textus Apocalypsis intelligatur de ligatione per Christum, ita ut nequeant fideles tentare, quantum vellent; nec quantum ante adventum Christi tentare solebant.

36. Alii ajunt proprius intelligi textum Apocalypseos de Lucifero, qui antonomastice appellatur draco, serpens, & Diabolus, qui per Christum in abyso est reclusus mille annis, idest tempore gratiæ usque ad adventum Antichristi in bonum Ecclesiæ, & electorum, juxta illud *Joan. 12. Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.* Cæteri vero Dæmones, vel plures ex eis non sunt clausi in inferno.

37. Nota, quod hic locus Apocalypsis nimis ad litteram acceptus fuit, occasio erroris eorum, qui *Cbiliastas*, vel *millenarii* dicuntur, quorum primus fuit Papias Episcopus Hieropolitanus, & discipulus ipsius Evangelistæ Joannis, cui subscriperunt aliqui SS. Patres asserentes devicto Antichristo sanctos in hoc mundo gavisuros omnibus delictis, juxta impurissimum Ceriathum, carnalibus, juxta Ireneum, & alios, spiritualibus. Sed hic est error improbatus communi sensu SS. Patrum, quia sancti non egent delictis hujus mundi, cum in cælo omnibus gaudeant. Mille itaque anni denotant tempus gratiæ usque ad adventum Antichristi; tunc enim *solvetur Satanas de carcere suo, & exiet*, ut ibidem dicitur. Uno verbo Lucifer nunc est ligatus in abyso, alii vero Dæmones versantur in aere.

38. Objic. 2. spectra, larvæ, seu lemures faciunt quasdam levitates excitantes ad risum, ut frangores, vel sonitus catinorum, & alia ridicula; sed Dæmones, igne averni ubique torti, non sunt in statu faciendi ridicula, vel movendi ad risum; erg. licet in aere verseatur, præmissa spectra Dæmones non sunt.

39. R. licet Dæmones semper, & ubi-

que crucientur igne tartareo, efficiunt quædam ridicula ad decipiendos homines; novimus enim ex historiis fide dignis sumpsisse quandoque figuram simiæ ad movendum ad risum etiam ministros altari servientes. Nihil quippe eis interest facere ridicula, quoties homini aliquomodo noceant, ex livore invidiæ, qua in eum semper tabescunt; esto media nocendi incongrua sint eorum statui. Quid incongruentius eorum naturæ, & statui, quam luxuria carnalis, & incubatio, aut succubatio? & nihilominus, ut supradiximus ex SS. Hieron. August. & Thoma dantur Dæmones talia perpetrantes, quidquid alii minoris auctoritatis reluctari contendant, & quod Dæmones faciant quasdam levitates ad risum moventes admittitur ab Angel. præcept.

1. 2. q. 89. a. 4. ad 3.

40. Objic. 3. D. Chrisost. *homil. 22. in Genes.* & Cassian. *Collat. 8. cap. 21.* negant esse credibile spiritum posse coire cum foemina: erg. non est admittenda incubatio, aut succubatio in Dæmone. R. Chrisostomum, & Cassianum solum negare Angelos natura sua id posse facere, aut eorum primum peccatum fuisse ex libidine; aut se miscuisse carnaliter cum foeminis, quæ *Genes. 5.* appellantur *filie hominum*; non tamen negant posse in natura assumpta incubare, succubare, & etiam semine humano generare.

41. D. Augustinus, qui prius de hoc dubitaverat, postea ait tam constanti fama, tantorumque hominum testimonio constare Dæmones assidue immunditiam hanc tentare, & efficere, ut hoc negare imprudentiæ videatur. Ita testatur in *lib. 15. de Civit. cap. 23.*

42. Apulejus, & Platonicus putaverunt Dæmones esse quædam animalia aerea; quo posito, aut ficto, non esset adeo extraneum a natura eorum ridicula facere, aut generare; sed est error antiquus, a quibusdam modernis suscitatus, & partim adoptatus taliter, quod illum venditare velint ut novam philosophiam a se inventam: in quo dupliciter errant, quia ex una parte reperiuntur apud veteres sapientes plagiarii, & ex alia stulti, despicientes viam majorum, & nolentes subscribere doctrinæ sanæ D. August. & D.

D. Thomæ, quos Ecclesia semper laudat inter sui firmamenti luminaria majora.

43. Supposito ergo spectra, seu larvas non esse animalia, sed spiritus, qui communiter dicuntur Dæmones, proli-gandi sunt a domibus, vel aliis locis, in quibus nocent, aut terrificant, eisdem remediis supra indicatis, videlicet exorcismis, orationibus, aqua benedicta, signo crucis, invocatione nominis *Jesu, & Mariæ*, & puritate conscientie habitantium; frequentius enim infestant loca, ubi gravia crimina sunt perpetrata, vel habitant homicidæ, aut alii homines scelerati. Quære ut superstitiosa rejicienda sunt remedia, quibus ethnici utebantur contra lemures, nempe fabæ nigre prius in ore versatæ, & post tergum projectæ, aut arma, vel effusio sanguinis infantium, quod non solum superstitiosum, sed crudele, & inhumanum est.

44. Inq. 2. An unicuique homini sit deputatus Dæmon ad ei nocendum, sicut Angelus bonus ad eum custodiendum? R. affirm. quia Lucifer est simia Dei, & sicut Deus destinavit suos spiritus ad dirigendos homines in cælum, distribuendo regnis, provinciis, & communitatibus peculiarem principem, præsidem, aut rectorem ex Angelis superioribus, & custodem ex inferioribus unicuique homini: ita suo modo Lucifer ex Dei permissione habet suos ministros deputatos, superiores quidem pro regnis, provinciis, & communitatibus vexandis, & perturbandis, pro unoquoque autem homi-

ne tentando, & impugnando inferiores. Sunt enim etiam inter Dæmones alii aliis superiores, quia ex omni hierarchia ceciderunt plures, & non amiserunt perfectionem naturæ, in qua creati fuerunt. Unde juxta eorum perfectionem naturalem superiores præsent inferioribus, & Lucifer omnibus, quod habet partim a natura, partim ex communi eorum nequitia, & consensu, ut ait D. Thom. 1. p. q. 109. a. 2. ad 2.

45. Dices: ergo datur ordo in Dæmonibus, quod non videtur verum. Sequitur etiam ex dictis, quod alii aliis obediunt, & quod Lucifer sit Prælatus omnium, ex quo aliquid honoris, & gaudii ei adveniret, quod non est credendum. R. quod ordo naturalis, in quo a Deo fuerunt creati, remanet in Dæmonibus, licet ex malitia eorum perversus, & depravatus. Unde alii aliis coacte subduntur, & obediunt semper in malum, semperque ex prava intentione nocendi homini. Prælatura autem Luciferi nihil honoris, aut gaudii ei affert; nam esse Prælatum malorum, non honor, sed ignominia, & miseria est; unde major inter Dæmones est pejor, & magis miser. Nihilominus omnes conveniunt ad nocumeum hominum maxima sollicitudine; ex qua oportebat, quod disceremus, quanta cura, & diligentia debeamus vigilare contra eorum insidias. Clamemus continuo pro auxilio divino, vigilemus, & oremus, ne intremus in tentationem, ne ab eis superemur, sed profligando eorum pertinaciam, gloriemur de æterna victoria.

TRACTATUS DECIMUSQUARTUS

DE TERTIO DECALOGI PRÆCEPTO.

CAPUT UNICUM.

De festorum observatione.

PUNCTUM I.

De præcepto servandi festa.

1. Inq. 1. An detur præceptum servand.